8 14 18

Nobilissime et Amplissime Vir,

Filii tui in studiis progressum, quem ex me scire desideras, paucis ad te perscribo: qui quamvis pro temporis, quod meum cepit, angustia, eiusque absentia crebriore, tantus fortasse non sit, ut nostro utriusque voto omni ex parte respondeat, tamen et ipsius voluntate, et meo labore quotidiano mediocris existimari potest. Statim enim, ut ad me venit, stylo, cuius propter leviorem Grammaticae cognitionem, adhuc rudior erat, per menses aliquot assiduam operam dedit, tum Belgicum Latine, tum Latinum Belgice vertendo: tantoque successu, ut mox Chrias et Epistolas secundum praescriptam methodum componere coeperit; imitatus prae caeteris ipsum Romanae eloquentiae parentem Ciceronem, quem quotidie et legit, et explicat. Inde ut graviorum praeludiis, orationculas aliquot laudis ac vituperii nuper adiunxit: in quibus porro generalibus Oratoriae praeceptis penitius imbutum, tantos progressus facturum spero, ut in gravioribus eius ~~generis~~ generis exercitiis, clariora industriae specimina daturus sit. Praecepta vero Poeseos, cum Virgilium et Horatium exponeret, addidit; et ad versuum compositionem, quamvis infeliciter (non enim ad illos natus videtur) transtulit. In Graeco novi Testamenti textu interpretando, Grammaticeque resolvendo tantum promovit, ut iam versus aliquot in Βατραχομυομαχίᾳ Homeri aggressus sit. Adeoque synopsin Logicam, quam gravioribus compositionis exercitiis ut earum fundamentum praemiseram, totam ita absolvit, ut pleniori eiusdem institutione, meo quidem iudicio, non indigeat.

Habes Nobiliss. et Ampliss. Vir, praesentem studiorum filii tui rationem ac statum: quibus quo pacto felicius in posterum consulatur, tui iudicii et imperii erit, meique obsequii. Vale, et me ama. Dab. Bredae 30 April. 1651.

Nobilit. et Amplitud. tuae observantissimus

Adr. Bubbenius m.p.

© British Library
Add MS 22953, f. 18-19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5136

© British Library
Add MS 22953, f. 18-19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5136

Nobilissimo et Amplissimo
Viro, D.

Constantino Huygenio,

Equiti, Dn̄o in Zuilichem et
Monikelandt. Celsissimo Arau-
sionensium Principi laudatiss.
mem.ae à consiliis et secretis.

Hagam-Comitis.

© British Library
Add MS 22953, f. 18-19
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5136